ENCHIRIDION SIMUL COMPLECTENS SANCTAM, & CATHOLICAM DOCTRINAM DE...

Fulvio Montefortino

ENCHIRIDION
SIMVL COMPLECTENS
Sanctam, & Catholicam
DOCTRINAM

De Primo, & Secundo: Vetere, & Nouo: Terreno, & Cœleste Homine:

Nec non vnà edocens seriem, ac scopum veræ Philosophiæ iuxta Arist. & Platonis doctrinam.

AVTORE F. FVLVIO A MONTE FORTINO
D. Augustini Eremita, & Sacrarum literarum Professore.



Lucæ, apud Vincentium Busdracum. 1564.

F. FULVIUS A MONTE FORTINO
Diui Augustini Eremita.

CLEMENTI PETRÆ PAPIENSI
Comiti Illustri,

ET MAGNO PRIORI RELIGIONIS EQUITUM
Sancti Stephani.
S. D.

TRES olim Deas, Palladem, Iunonem, & Venerem, apud Paridem de Pomo aureo, id est de palma, & victoria certasse. Tibi (inclite Comes) compertum esse existimo: nec minus latere te puto, quod consultante secum Paride, cui potissimum è tribus aureum pomum esset præsentandum, ad iudicandumue, elegit tandem iuuenis, inania consilia cupidinis magnifaciens, Venerem: sed cum infoelix Mineruam, Iunonemque imprudenter spreuisset: Duce Venere se consecuturum fœlicitatem sperans, insperatò incidit in lachrimabilem miseriam. Duæ tantum occurrisse traduntur Herculi, Venus, atque Iuno: Hercules neglecta Venere, animosam sub Iunone virtutem, est secutus: neque tamen inter mortales propterea fœlix, perpetuò vexatus certaminum labore: sed hunc tandem victoria cœlo exæquauit: Huic denique superata tellus (vt Poëtæ fingunt) sidera donauit. Duæ quoque Phileho cuidam obuiæ, voluptas, atque sapientia, de victoria contenderunt, atque eo iniquo iudice, Venus Palladem superaniſſe viſa eſt: ſed paulopoſt, Socrate rectius decernente, Miner-

ua victoriam reportauit. Duæ deniq; & te (Nobilis vir) arbitrum cœpisse videntur, Iuno.s. & Minerua de palma certantes: Cum enim duæ in primis res sint, quæ Homines illustres efficiant, res militaris, & sapientia: Vtra harum alteri sit præferenda, & homines reddat illustriores, veterem scimus extitisse controuersiam: quam quidem te æquissimè decernere volentem, videre videor, tacite illis dicentem, nec tibi, nec tibi, sed diuidatur pomum aureum: quandoquidem neq; toga sine armis tuta: neq; arma sine togis sunt valida: Tu nullam illarum post habens spreuisti, sed ita Iunoni adhæsisti semper, fallacis Martis militiam secutus, vt nec deserueris inuictæ castra Mineruæ: In te (si adulationis suspicio asserere prohibet, cogit tamen veritas confiteri) singularis Magnanimitas, & incredibilis mansuetudo, inter se de paritate contendunt: es enim re ipsa, CLEMENS PETRA; Eques, & Comes: Eam igitur ob rem quid mirum, si te studiosi tuis grauissimis moribus, & tua erga ipsos beneuolentia allecti; venerentur? Milites, te, tua fortitudine Martem referentem admirentur? & te demum Principes (& inter ipsos Illustrissimus, æquissimusq; COSMVS MEDICES, Dux Florentinorum, & Senensium, ex Heroum Genere procreatus, & Christianorum Principum vnum exemplar) vt fidum Achatem colant, amentque? Ad te igitur Illustrem virum, Religione etiam insignitum; cuius virtutes sunt tales, quæ mereantur amplioribus muneribus condonari

donari, quos ex amenissimis Patrum Orthodoxorum, Philosophorumque pratis flosculos, passim, diuque discurrendo collegi, Religionemque Sanctam præ cæteris redolentes, mitto: Obsecrans, vt quæ ego, nescio quo pacto, Saturnia forsan feci: Tu tuo splendore Iouia facias. Vale, & me ama.

F. FVLVIVS A' MONTE FORTINO
Diui Augustini Eremita, Grato Lectori, S. D.

NIHIL est quòd mireris (ornatißime lector) si me in his omnibus assertionibus, cum Theologicis, tum Physicis, persape aliorum mineruam imitatum, ac etiam usum fuisse perspexeris: quandoquidem si id receptißimis Autoribus impunè licuit, non solum aliorum sensa, verum etiam integra capita, verbo tenus sibi vendicare; Cur mihi non liceat Doctißimorum scripta imitari, & ex amplißimis, ac virentibus classicorum scriptorum pratis, barbulas, ac plantulas quasdam conuulsisse, & in meum paruum quendam hortulum pro medicamine Primi, Veteris, & terreni Hominis, Ob gaudium, & gloriam Secundi, Noui, & cælestis Hominis, ac demum pro cuiusq, sensati viri deliciis; aptatum, transtulisse, atque conseruisse? faciat, & idem censor, & nemo, meo quidem iudicio, criminabitur ipsum. Id autem in primis curaui in huiusmodi meis assertionibus, ut alia ex aliis consequantur, quò rerum agendarum ordinem (mihi saltem) opportunè referrent; monerentq, me ipsum, nihil praposterè, nihil sine consilio aggrediendum, sed omnia ad rationis normam esse dirigenda. Vale optime lector, & purgationem hanc meam, æquo animo admitte: Iterum vale, & me, piis tuis orationibus. Deo Comenda.

D. O. M.
H.

DE PRIMO, VETERE, ET TERRENO HOMINE.

1 *SVMMVS Architectus Deus Pater, in Filio, & per Filium, principium, & finem, siue quietem, vt bonitatis*
Gen. 1 Sap. 5 Ioan. 1 *suæ vim declararet, ex nihilo creauit caput, ignem, & fundamentum magni Hominis, fœdere bono.*

2 *Certumq; in opere condendo ordinem tenuit, atq; dierum numerum, & tempora seruauit: quo nobis ad operandum formam daret.*

3 *Angelica quippe Natura, Cælo empyreo, & elementis primo conditis, deinde cæteris rebus, quas ex initijs Diuina sapientia conflare voluit.*

4 *In elementis, Cælum, terram, aquas, aërem, igneamq; lucem Moses comprehendit.*

5 *In aquis inferæ, & superæ continentur, quas ad præparandam futuris fœtibus, terram, lucis, & spiritus beneficio, in stirpium, atq; animantium usum solerter distinxit.*

6 *In rebus verò concretis, metalla, stirpes, animantia numerantur: Supremum, & ultimum locum, obtinente Homine.*

7 *Vt qui rationali anima virtutibus perfecta, quãtum ipsius patiebatur Natura, ad imaginem Dei (quæ CHRISTVS est) non solum intelligentiæ, ac mentis, sed rerum omnium*
Col. 1 *exemplarem perfectionem continens, vt est apud Apostolum. Qui est imago Dei inuisibilis, primo genitus omnis creaturæ, quoniam in ipso condita sunt vniuersa in Cælis,*

Col. 1. & in terra, uisibilia, & inuisibilia, cum verbum illud sit
Ioan. 1. de quo Ioannes. In principio erat verbũ &c.) factus reliquis operibus naturæ dignitate antecelleret, & principatum in omnibus obtineret.

8 Qua de causa sexto die hoc elaborato, septimo die deinceps à creando quietem (consecrato ad magna mysteria sabbato) sumpsisse Architectus Mundi dicitur.

9 Operæ enim ad huius imaginem effecto nullum præstantius, ne cœlestes quidem Genios ferè dixeris.

10 Stultè igitur, aut plures confinguntur Mundi, aut hoc ipso quem Moses (a quo satisfactum fuit rudibus auditoribus, dum lumen sapientiæ, quod introspiciunt sapientes, crassioribus verbis, quasi cornea testa circundatum obduxit, ne hebetiores inde oculi perstringerentur: attulit enim ille lumen, vt sanis oculis proforet, inclusum tamen, & velatum protulit, ne lippientibus officeret: nam neque minus ille, aut debuit, aut potuit, aut voluit iuuare doctos, quàm indoctos) praclarè descripsit, melior: Quibus verbis Dei scientia, co-
Gen. 1. mendatus sit: vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona, intellectualia. s. cœlestia, & sublunaria.

11 Debitis numeris operata, armonica quadam naturæ cognatione, atq; ordinata graduum serie: colligata, Mundum ue unum constituentia.

12 Representantia nimirum summum, perfectum, sufficiens,
Luc. 18. ac expetendum illud bonum, de quo Artificis verbum: Nemo est bonus nisi unus Deus.

13 Cuius bonitas non solum in condendis rebus declarata est, sed
Psal. 144. etiam in gubernandis, conseruandisq; eis, elucescit. De
Act. 17. qua cura Dauid cecinit: Oculi omnium in te sperant Do-
Eph. 1. mine &c. & Diuus Paulus. In ipso viuimus, mouemur,

&

& sumus. & idem alibi ipse operatur omnia in omnibus.

14 *Mens & enim illa Diuina, & æterna præteritorum meminit, præsentia cernit, futura perspicit, simul vero omnia amplectitur, & moderatur. Ita ut ex illa, tanquàm ex puncto omnia emanent & in illa tanquam in circulo omnia concludantur Nanq; (ut Platonici dicunt) est Sphera in circumscriptibilis, cuius centrum est ubique, circumferentia verò nusquàm, supra totum non elata, infra totum non* Apocal. *inclusa A. & Ω, id est omnis numeri Principium, & omnium finis, quies, & absoluta fælicitas, quam res creatæ, aut in se ipsis, aut in ipsa adipiscuntur.*

15 *Quam prouidentiam, & gubernationem negant, qui cuncta, ut condita sunt, temerè, ac fortuitò ferri putant.*

16 *Secus quidem quàm creati Hominis ratio ferat quem in uniuersi huius medio collocatum cognoscimus, quo Diuinæ sapientiæ spectator, & prædicator esset.*

17 *Nanq; Amplificatio Dei ultimum illud, ac extremum est, quod Opifex ipse in operum suorum, tum creatione, tum gubernatione spectat.*

18 *Et iure quidem optimo: Nanq; in entitate rerum admirari potentia efficientis Dei licet In veritate, venerari artificis sapientiam: In bonitate, reclamare amantis liberalitatem: In vnitate, suspicere conditoris unicam simplicitatem eò denique omnia tendunt, ut ex ijs quæ sensibus, & rationi obijciuntur, Deum immortalem. Plenissimam entitatem: Indiuiduam vnitatem Solidissimam veritatem Beatissimam Bonitatem ex quo & ipsa pendet Natura, intelligamus, admiremur, atque collamus; in nobis ipsis possidentes vnitatem, veritatem, Bonitatemq;.*

19 *At verò (vt ad id unde digressus est sermo, reuocetur) ita ac-*

 cipienda

cipienda erit primi hominis præstantia, ut eum è terra, non de cælo, originem duxisse intelligamus.

20 *Terrenus enim Homo, is Homo est, non cælestis: duabus partibus constans: altera, corpore ex terræ limo effícto: altera, Animo per Dei afflatum in corpus solerter Artificis manu constitutum, indito.*

21 *Quo equidem afflatu Adamus primus vitam animalem, nō spiritualem hausit.*

22 *Corpore, naturales affectiones, quæ in incremento, & decremento, in tempore, loco, motu, cernuntur, obtinente: Animo, vitæ munera, quæ in gignendo, alendo, sentiendo, mouendoq., atq. in ipsa intelligentia versantur, obeunte.*

23 *Quæ munera in hac speciosa partium corporis conformatione tam edita, rerum omnium perfectionem: tàm latè, quantum natura, sensus, mens, in Homine contineri indicant.*

24 *Nam quam excellentem naturam in Mundo hoc toto effecerat Deus, eam universam in paruaq. tabella, quæ Homo est, magna artificij sui laude descripsit: ita ut mirum non sit à veteribus fuisse Hominem, Creaturarum omnium internuncium, vinculum, & nodum: Diuinæ potentiæ speculum: superis familiarem: Regem inferiorum: sensuum perspicaciam: Rationis indaginem: intelligentiæ numen: naturæ interpretem: stabilis æui, & fluxi temporis interstitiū, Mundi copulam, cui commune esset, quicquid priuatum singulis fuerat: magnum denique miraculum & minorem mundum appellatum.*

25 *Qui cum vita carentibus esse: cum stirpibus vitæ: cum animantibus sensus: cum cælo tenuis, & spiritalis cuiusdam corpusculi: cum Angelicis spiritibus intelligentiæ: cum Deo sacri spiritus, consors sit: ita deniq; factus, ut aliquando co-*

optandus

optandus in consortium Diuinitatis, ad dexteram Dei sedem teneret.

26 *Et quamuis excellentem intelligentiam primò sortitus sit, quæ naturalis vitæ modum, & rationem superaret: misteriorū tamen, quæ per Christum secundum Adamum aperienda erant, notitia vel caruit, vel ea in enigmate tantum vidit:*
Rom. 16 *scriptum est enim iuxta reuelationem mysterij temporibus æternis taciti, manifestati vero nunc.*

27 *Vt itaq; Christo alteri Adamo reuelando pateret locus, primus sic genitus est, ut ei per fragile corpus ad noxam facilis aditus pateret.*

28 *Hanc occasionem infirmiore sexu, & serpentis insidijs oportuno, fœmina adiuuante.*

29 *Quæ ex Adamo deprompta, in arctum utriusq; coniugium, sacrum, quod inter alterum Adamum, & Euam illam cælestem, contrahendum erat matrimonium, adumbratum est: Ad quod quidem suo tempore manifestandum in orbe terrarum, non sine Dei permissione, ad committendam culpam materia quæsita fuit.*

30 *Itaq; duplex primi Hominis cognoscitur fuisse status, integer alter, alter vero vitiatus.*

31 *Integer erat humanæ naturæ conformatio ad imaginem Dei corpore, & animo, vitio carentibus.*

32 *In corpore nulla cupiditas pugnans cum mente: in hac nulla rebellio aduersus Dei voluntatem sentiebatur.*

33 *Quæ omnium in humana natura partium inter se, & earum cum Diuina voluntate consensio, iustitia illa natiua, & primogenia fuit.*

34 *Quæ & non solum in immortali illa veteris Adami mente, sed in reliqua quoque eius natura inerat.*

Confer-

35 *Conseruabant autem integrum illum statum, Obedientia, & arbor vitalis, quam Dominus in Paradiso, ad ea flumina, quæ Moses describit posito, conseuerat.*

36 *Qualis enim primus Homo erat, talem iussus est colere hortum, & uti cibis.*

37 *Ad adumbrandũ Paradisum, de quo Dominus noster, ipsi-*
Luc. 23 *us cultor, ad Latronem, Hodie mecum eris in Paradiso, &*
ad representandam arborem, de qua Ioãnes, Vincenti dabo
Apoc. 2 *edere de arbore vitæ, quam vates his verbis explicat, &*
Esa. 11 *egredietur virga de radice Iesse: De vitali autem eius esu,*
Ioan. 6 *Arbor ipsa apud Ioannem. Caro mea verè est cibus &c.*

38 *Consequebantur primi Hominis integritatem hæc commoda, corpus à fatigatione, morbis, senio, & morte liberum sani, & valentes sensus, Animus curis, & molestia, metuq; iudicij Dei vacuus.*

39 *Contraria verò in statu corrupto, & ubi primum nostri Protoplasti in latrones inciderunt, a quibus spoliati, & plagis impositis semiuiui relicti, inspexere In quo humanæ naturæ ab imagine Dei recessus, spectatur.*

40 *Causa tam vitiati status serpens Sathan habetur, humani generis ab initio capitalis hostis, qui per inuidiam opus ad imaginem Dei factum egre ferens, primos parentes ad inobedientiam sollicitauit, per quam vetitæ arboris letalem fructum ederent.*

41 *Versutè noua, & falsa imagine proposita, eritis sicut Dij sciẽtes bonum, & malum, quo illos à vera imagine abduceret.*

42 *Quam falsam imaginem ipse statim à principio cœpit gerere, sibi quidem, & ministris suis exitialem. & Adamo, eiusq; posteris, hæc quæ sequuntur afferentem mala.*

43 *In corpore vitiato concupiscentia aduersus mentis legens grassans*

sans

ſans: in mente errores, & tenebræ Dei lucem obſcurantes cernuntur.

44 *In totam naturam inducta partium inter ſe diſſenſione, & cũ Dei volontate capitali rebellione.*

45 *Quod vitium illud originis eſt, quo uniuerſa primi Hominis ſoboês corrumpitur, & quo omnium in hac uniuerſitate rerum, optimus ſtatus labefactatur.*

46 *Qui integer ſeruatur, Homine mundi capite, integritatem ſuã tuente vitiatur verò, eodem illo per culpam deprauato.*

47 *Quæ ordinis Dei confuſio, ac deſtructio eſt: dum infima per media cum ſummis non conſentiunt deprauatione in corporibus, ſenſu, mente, aduerſus Dei ſpiritum, ultimam illam, & ſummam perfectionem, deſciente.*

48 *Tam fedè igitur vitiatus ſtatus omnia malorum genera in hunc mundum inuxit.*

49 *Vt ſi corpora ſpectes, occurrunt labores fatigatio, infirmitas, graues conceptus, & difficiles partus, morborum varia genera, ſeniũ, tardi ſenſus, & mors deniq. ipſa ſtipendiũ peccati.*

50 *Sin externa, ac fortuita conſyderes: occurrunt calamitates, bella, exilia, ſeruitus, orbitates, inclementia cæli, & terræ eluuiones, rerum penuria, Imperiorum mutationes.*

51 *Sin animos, offertur cecitas, & ignorãtia Dei, miſerrima peccati ſeruitus; de qua Dominus noſter Ieſus Chriſtus. Qui facit peccatum ſeruus eſt peccati & diuus Paulus. Ego autem carnalis ſum venundatus ſub peccato.*

Ioan. 8.
Rom. 7

52 *Ablata nimirum per peccatum vera libertate: de qua idem Apoſt. 2. Cor. 3. Vbi ſpiritus Domini, ibi libertas.*

53 *Quo ſpiritu abſente, nulla vera, & legitima libertas habetur: ſtat enim illud. Si filius vos liberauerit, verè liberi eritis.*

Ioan. 8

54 *At qui cum ſeruitute hac peccati non contendit libera volun-*

tas

tas, quæ in actionibus rationi subiectis cernitur: ut sit legibus cum domestici, tum ciuilis Imperij seruandis, locus.

55 *Ubi spectatur actionum præstantia, quæ rationi, & Mundo satisfaciat, Deo non item.*

56 *Cernitur pariter in tam misera conditione, diffidentia Dei, quam vetus Adamus statim post peccatum, suam nuditatem cognoscens, & à facie Dei fugiens præsetulit, dum domino interroganti ubi es? responderet, vocem tuam Domine audiui in Paradiso, & timui, eo, quòd nudus essem, & abscondi me.*

57 *Demum in Animis originis vitio deprauatis, horrendum Dei iudicium de noxa cernitur.*

58 *Cuius Mosem per legis accusantis, & damnantis functionem, ministrum Deus voluit esse.*

59 *Qui quidem ministerio, propter conflatam noxam, mortis, non vitæ fungitur.*

60 *Mansit etiam à contracto peccato Naturalis lex, turpium, & honestorum discrimen indicans, & ciuilia, gentiumq; iura, atq; de moribus doctrinam suppeditans. De qua illud* Rom. 2. *D. Pauli. Qui ostendunt opus legis scriptum in cordib. suis.*

61 *Sed hæc lex noxæ, damnat potius, quam à capitali Dei iudicio absoluat.*

62 *Cum per eam, veteris Hominis soboles, veritatem in iniustitia detineat propterea, quòd Deum, quem per hanc legem cognoscit, pro dignitate non glorificat.*

63 *Atque tandem is est calamitosus primorum parentum status, in quem cum Posteris suis à perpetrata culpa inciderunt.*

64 *Et certè rationabile fuit, ut quemadmodum Protoplastus non modo sibi, sed vniuerso, quod in se uno complectebatur, & Authori ipsius Mundi, Omnipotenti Deo, iniuriam fecerat:*

experiretur

experiretur etiam omnia, quæ in Mundo sunt, & Deum in primis potentißimos vindices, & acceptæ iniuriæ grauißimos vltores: Nam sicut fauebant ei omnia, eam legem seruanti, quæ data eidem fuerat: ita cum per peccatum, & legis Præuaricationem de Orbita defecit, omnia aduersa, infesta, inimicaúe habuit: & sic experientia cognouit, quantum inter bonũ obedientiæ, & malũ inobedientiæ intersse.

65 *In qua demum miserrima conditione, & æterno exitio perituri certò eramus cum nostris primis parentibus ni Dominus pro sua bonitate, rationem aliquam prouidisset, qua tanta pernicies à nobis omnibus auerteretur. Hoc est nisi alterum Adamum ante conditum Mundum sibi, & nobis, proposuisset, per quem omnia, quæ serpentis, Diaboli malignitate perdita erant, restituerentur. De quo statim, infra.*

De secundo Nouo, & cœleste Homine.

1 CONTRARIA *ratio Secundi, Noui, & cœlestis Hominis CHRISTI IESV Domini nostri. Qui non*
1.Cor. 15 *de terra terrenus, sed de cælo, cælestis Homo est.*

2 *In quo spiritus viuificans cernitur, ut in Priore Adamo anima viuens, ut est apud Apost. factus est primus Homo in animam viuentem, extremus in spiritum viuificantem.*

3 *Qui corpori spirituali spiritualem, non animalem vitã præstat.*

4 *Accipitur aũt corpus spirituale, quod à naturalibus affectionibus, quæ in circumscriptione loci, tempore, motu, auctu, & decrementis spectantur, liberum sit.*

5 *Cælestem verò secundi Adami originem conceptus declarat, & Natiuitas.*

6 *Nam conceptus is Homo non est corrupto viri semine, sed è spiritu Sancto, & natus ex Maria virgine est: vt qui ab*

C æterno

æterno ex Deo Patre sine Matre genitus, in tempore ex
Esa. 7. Homine Matre sine Patre nasceretur, essetq; & Deo Patri æterna natiuitate, & Homini Matri lege partus vnigenitus filius. Qua de admiranda origine multis retro seculis prædixerat vates Ecce Virgo concipiet, & pariet filium:
Hier. 31. & item. Nouum faciet Dominus super terram, fæmina circundabit virum.

7 Quæ inuiolata Virgo, inter Mulieres benedicta, & super choros Angelorum exaltata, quoniam Iosepho Generis Dauidici desponsata fuit desponsationis iure, saltem, in familiam Dauidis transiit.

8 Sicuti fæminæ matrimonii lege, ex sententia hac: Hoc os ex
Gen. 2. ossibus meis, hæc caro ex carne mea: suum cognomen amittunt, & eius familiæ in quam nubunt, cognomen accipiunt.

9 Nouus itaq; is Homo Christus Iesus, in tempore plenitudinis exhibitus, & Dei, & Dauidis fuit filius, ad præstandum
Gal. 4. promissum, quòd primo Adamo, & maioribus Israëlitarum factum fuerat.

10 Conceptus è spiritu Sancto innocentiã, & ab omni labe liberã integritatẽ Natiuitas verò expositã cruci cõditionẽ, indicauit.

11 Vtrumq; enim necessarium fuit ad luendam veteris Hominis noxam, & ad veram integritatem reparandam.

12 Innocentia quidem ad tribuendam iustitiam: Ignominiæ verò opportuna conditio ad expiandum peccatum: ut est apud
Esa. 53. Prophetam: Eo quòd iniquitatem non fecit &c. Item: Attritus est propter scelera nostra.

13 Infirmitas in morte, Innocẽtia in Resurrectione palã apparuit.

14 Morte peccatum, per aspersum sacrum Agni sanguinem expiatum est: Per Resurrectionem iustitia, quæ primorum parentum vitio ammissa fuerat, restituta. ut habet Apostolus

Qui

Rom. 4. *Qui traditus est propter peccata nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram.*

15 *Bipartitus igitur huius Noui Hominis status est: Alter Crucis. alter Maiestatis, & Gloriæ.*

16 *In statu ignominiæ, cum esset in forma Dei, se ipsum deiecit atq. serui forma sumpta, mortalis Homo apparuit.*

17 *In qua forma ad abolendum, & maledictionem: Peccatum factus est, & maledictum, iuxta illud Tum enim qui non*
2 Cor. 5 *nouit peccatum, pro nobis peccatum factus est. Item Chri-*
Gal. 3. *stus nos redemit ab execratione legis, dum pro nobis factus est execratio.*

18 *Ad delendum videlicet chirographum cruci affixum, quod*
Col. 2 *per decreta legis Mosaicæ miserè nos in mortem venditos, de noxa, ut deuotos, & maledictos condemnarat.*

19 *Hoc est factus est piacularis Hostia, quæ mirabili victoriæ genere, mortem per mortem: peccatum per peccatum: opprobrium, Crucis per opprobrium, vinceret, atq: deleret.*

20 *Qua ex re aperte intelligitur, quanto Deus odio peccatum prosequatur: & quàm vehementer humanum genus diligat. Pro quo redimendo, & noxa luenda, filium vnicum, vi-*
1 Io. 4. *ctimam facere non recusauerit: De qua charitate Ioannes In hoc apparuit charitas Dei, quòd filium suum vnicum misit in Mundum, ut viuamus per eum.*

21 *Cui sacrificio, Mosaica sacrificia umbram prætulerunt; sed aliter piaculares; aliter de pace, atq; de salute victimæ. aliter holocausta aliter dapalia sacrificia.*

22 *Quorũ umbra euanescẽte, reddito corpore, quod Christi est, nullũ vetus sacrificiũ in noui fœderis administratione locũ habet.*

23 *Semel in Ara Crucis peracta peccatorum expiatione: iuxta il-*
Heb. 9. *lud: Christus semel oblatus est, ut multorum peccata tolleret:*

C 2 sicut

Iom. 19. *sicut is de se quoque professus est, cum iam spiritum Patri redderet, consumatum est.*

24 *Cuius oblationis semel confectæ in sacra, per hanc ipsam victimam instituta cœna, memoria celebratur: & hostia adhuc offertur, ut catholicè tenent Christi fideles: quod neq; à noui fœderis sacerdotio alienum est.*

25 *Sacra autem hæc victima nostra per fidem iustificantem, charitate informatam, veteris Hominis naturam, atque ingenium abolentem, utilis nobis Adultis redditur.*

26 *Cum nos credentes Christum nostra vitia per mortem suam, placata ira Dei expiasse: sacramentis ab eo institutis, sanctè vtimur, & nostra quoque corpora mactamus: prauas cupiditates, & earum fructus: adulterium, scortationem, immonditiā, lasciuiā, ebrietates, inuidiā, cædes, &c. deponētes.*

27 *Quæ, & ipsa vinæ sunt victimæ, quas cuncti Christi fideles in filio, & per filium immolare debent. De quibus Apost.*

Rom. 12 *Obsecro vos per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem sanctam Deo placentem, &c.*

28 *Atq; has victimas sacro baptismo profitemur, ut est apud eundem Apostolum: Sepulti igitur sumus una cum illo per baptismum in mortem, ut quō Christus surrexit à mortuis, per gloriā Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus, &c.* Rom. 6.

29 *Nam carnem cum suis affectibus, qui inimicitia sunt aduersus Deum, nisi crucifigamus, & sanctis Sacramentis sanctè vtamur, nobis falsò, vel fictè credentibus, neq; Christi victimæ mors utilis erit, neq; gratas Deo hostias unquā libabimus.*

30 *Ad quem usum salutaris Crux, quam feramus, inuenta est: qua & vetus per penitentiam Homo mortificatur, & via ad gloriam communitur, ut Diuus Paulus monet: Si quidē simul cum eo patimur, & una cum illo glorificemur.* Rom. 8.

Usum

31 *Usum igitur sanguinolentæ Hostiæ sacrosanctæ à Patre nobis propositæ, neq; Hippocritæ similes sepulchris dealbatis; Neque qui nomine, & ore tantum Christum referunt, & re ipsa negant, percipiunt: multoq; minus intelligunt moderniores Hæretici, epicurei nostri seculi, inobedientes, vaniloqui & seductores: vniuersas domos subuertentes: docentes iuxta propria desideria, quæ non oportet, contraria fidei, turpis lucri gratia. Vt Cretenses semper mendaces malæ bestiæ, ventres pigri nulla seruantes Ecclesiæ ieiunia, & alia sancta instituta. sedentes super ollas carnium in Egipto, nauseantes super manna cæleste grauantes corda sua crapula, & ebrietate: mentem habentes, & conscientiam coinquinatas: gloriantes se veros Christianos esse, & factis Christũ negantes Cum sint abominabiles, & increduli, & ad omne opus bonũ reprobi, in hac sua, quã fingũt, Euãgelij reuelatione.*

32 *Mortificatione igitur carnis nisi imagini Crucis Christi conformes reddamur, neque eiusdem resurrectionis ad splendorem vitæ æternæ participes erimus scriptum est enim, quòd si mor-*
Rom. 6 *tui sumus cum Christo, credimus, quia simul etiam viuemus cum illo. Item Nam si complantati facti sumus similitudini mortis eius, simul & resurrectionis erimus.*

33 *Et enim sicut meritum Christi, quo meruit omnibus sufficienter remißionem peccatorum, nemini prodest nisi illi applicetur per sacramenta, vel fiat ipse particeps per fidem, & bona opera: sic etiam satisfactio Christi nemini sufficit ad deletionem pœnæ debitæ peccatis suis, nisi applicetur, per hoc, quòd crucifigatur cum Christo, mortificando carnem, & faciendo dignos fructus penitentiæ: & huc specta commune dictum Theologorum (à quibus nec tantillum quidem dissentiendũ) affirmantium Christum meruisse omnibus, & similiter pro*

omnibus satisfecisse: quando quidem ipse est propitiatio pro peccatis nostris, & non nostris tantum, sed etiam totius Mundi: at non efficaciter meruisse omnibus.

34 *Nam quòd efficacia mortis eius non applicatur omnibus: non quidem propter insufficientiam meriti eius, aut insufficientem satisfactionem illius; sed propter improbitatem Hominum, qui hac propitiatione Christi se reddunt indignos.*

35 *Quod verò ad alterum statū, qui Gloriæ est, attinet: Christus D noster, ut in crucis statu Dauidis filius apparuit: sic i Maiestatis suæ statu, per Resurrectionē declaratus est filius Dei*
Rom. 1. *per spiritum; de quo Apost. ad Romanos Qui genitus fuit ex semine Dauid secūdum carnem, qui declaratus fuit filius Dei cum potentia secundum spiritum sanctificationis ex eo, quòd resurrexit à mortuis Dominus noster Iesus Christus.*

36 *Declaratus (inquam) filius Dei, qui primogenituræ iure, Regia & sacerdotali dignitate ornatus, ad Patris dexterā sedeat.*

37 *Quæ dextra vis illa est, ac potentia, qua Deus cuncta sustentat, atq; gubernat, nec loco, nec tempore circumscripta.*

38 *In Regia dignitate: Peccati, mortis, mundi, & Diaboli Principis Mundi, victoria cernitur: quam vates his verbis ex-*
Esa. 53. *pressit; & fortium diuidet spolia; & Dominus apud Ioan-*
Ioan. 16. *nem: Iam iudicatus est Princeps Mundi huius.*

39 *In sacerdotio verò potestas spectatur præcandi pro peccatorib. sacrificandi, docendi, necnon donandi eis spiritum consolato-*
Esa. 53. *rem. De qua potestate idem Propheta: & pro transgresso-*
1. Ioan. 2 *ribus orauit; & Ioannes: Si quis peccauerit, Aduocatum habemus apud Patrem, Iesum Christum, iustum, &c. Et Di-*
Heb. 7. *uus Paulus: Talis enim decebat, ut esset nobis Pontifex, sanctus, innocens, impollutus &c. Iure iurando factus secundum ordinem Melchisedech.*

Quam

40 *Quam quidem potestatem Sacerdotalem, tametsi non prorsus æqualem, ipse liberalissimus Dominus inter alia mune-*
Iac. 5. *ra discipulis suis collata, communicauit; vt Diuus Iacobus testatur dicens. Infirmatur quis in vobis, inducat Præsbiteros Ecclesiæ, ut orent super eum, &c.*

41 *Qui itaq; in statu Crucis infra omnia deiectus, infirmi, atq; attriti, despectiq; per naturale corpus, quo natus fuerat, nomina tenuit.*

42 *In statu amplitudinis suæ post Resurrectionem, nomen nactus est, de quo Apost. Propter quod & Deus exaltauit illum,*
Phil. 2. *& dedit illi nomen, quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris.*

43 *Nomen (inquam) de quo Diuus Petrus: Non. n. aliud nomen est sub cælo datum hominibus in quo opporteat nos sal-*
Act. 4. *uos fieri: Quod Diuinum Iesu nomen, etiam ab Angelo in-*
Luc. 1. *ditum fuit, & vocabis nomen eius Iesum.*

44 *Et iure quidem: Nam qui Dei filius erat, ut nomen Dei obtineret par erat.*

45 *Cuius etiam nominis Maiestatem Principes tenebrarum, (quamuis inuiti) dū à Christo Iesu eis bellū indiceretur, atq;*
Math. 8. *viriliter ab eo oppugnarētur, cōfitebantur ijs verbis: Quid nobis, & tibi Iesu fili Dei? venisti huc ante tēpus torquere nos.*

46 *Ubi duo, quæ Maiestatem Christi declarant, confessi sunt: Unum, quòd sit filius Dei eumq; omnium iudicem fore.*

47 *Hæc autem Maiestas, atque amplitudo, ad quam Christus decurso Crucis spacio euectus est, humanæ naturæ amplitudo est, quæ elata ad dexteram Patris, parem cum hoc ipso potestatem obtinet.*

48 *Ut in qua habitat plenitudo Deitatis corporaliter, quaq; spiritu Patris citra modum de cuncta Christus universæ perfectionis spiritualis caput constituitur.*

49 *Caput (inquam ipsi Ecclesiæ corpori constitutus) in quod cælestis*
Gen. 2. *Matrimonij lege, sacrum spiritum, ipse totus cælestis, & spiritualis factus, fundat: ex sententia hac: Hoc os ex ossibus meis, hac caro de carne mea.*

50 *Quā sententiā secundus Adamus de altera Eua sponsa sua, verè viventium Matre, non minus pronuntiavit, quàm eum,*
Eph. 5. *prior ille de sua pronunciavit: ut est apud Apost. Quoniam mēbra sumus corporis eiusdē, ex carne eius, & ex ossib. eius.*

51 *Quæ coniugalis coniunctio efficit, ut sponsa Ecclesia suam infirmitatem, peccatum, mortē, severumq; Dei de peccato iudiciū, in Christum sponsum reijciat: Is verò innocentiā, vitā, Divinitatē, & Gloriā vicissim cōmunicet Iā viuens virtute Dei, qui antea in Crucis statu per infirmitatem crucifixus fuerat.*

52 *Propter quam quoq; communicationem, Christus etiam nunc crucifigi, & infestari dicitur, cum sancti crucifiguntur, & in*
Act. 9. *festantur: ut ipse fatetur in Actis Apostolicis Ego sum Iesus Nazarenus quem tu persequeris.*

53 *Et propter hanc etiam, quæ intercedit Christo cum sponsa sua Ecclesia Matrimonij societatem, nulla fœditas efficit, quo minus fidus sponsus sponsæ suæ sacrum suum spiritum veritatis afflet: & salutares aquas ex se ipso, tanquàm ex perhenni fonte vitæ, effundat manantes: quibus nos, novos Homines ex veteribus, cælestes ex terrenis fingat.*

54 *Ex fonte (inquam) manantes, de quo Zaccarias: in die illa*
Zach. 13. *erit fons patens domus Iacob, & habitantibus Hierusalem in ablutionem peccatorum.*

55 *Qui fons, Christus Iesus est, qui in Ioanne clamans: Cunctos*

sitientes

Ioan. 7. *sitientes inuitabat dicens, si quis sitit, veniat ad me, & bibat, et qui biberit ex aqua, quã ego dabo ei, nõ sitiet in eternũ.*

56 *Ex aqua videlicet purgatrice, & generatrice, de qua Ezechiel: & effundam super vos aquam mundam, & mundabimini*
Ezec. 36 *ab omnibus inquinamentis vestris, & ab vniuersis Idolis vestris mundabo vos, & dabo vobis cor nouum, & spiritum nouum ponam in medio vestri, & auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum, & spiritum meum ponam in medio vestri.*

57 *Vt etiã sine spiritu, & aquis, vetus mundi opus cõfectũ nõ est.*

58 *Quam genitalem cælestis Hominis aquam, lustralis illa Mo*
Num. 19 *saica aqua ex vaccæ cineribus confecta, & hysopo super immundo aspersa, adumbrauit.*

59 *Cuius tanta vis est, ut per hanc efficiamur, ut est apud Diuũ*
2. Pet. 1 *Petrum, diuinæ consortes naturæ, fugientes eius, quæ in Mundo est, concupiscentiæ corruptionem.*

60 *Sed duo mala (iuxta illud Hieremiæ) fecerunt Homines. De*
Hiere. 2 *reliquerunt siquidem fontem aquarum viuarum, & foderũt sibi Cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.*

61 *Alia igitur integritas Noui Hominis, alia veteris spectatur: Alter enim ex terræ debili limo conditus est. Alter ex Deo nascitur: idem de vtriusq; sobole iudicium.*

62 *Atqui, & in nouitate dissimilitudo cernitur: alter enim Christus, alter sancti membra illius noui Homines appellantur.*

63 *Et enim Christus quoniam natura spiritum sanctum, ut natura Dei filius, obtinet: Natura nouus Homo est. Nos fi-*
Eph. 2 *lij Dei, & noui Homines renascimur qui vitiosi prima genitura veteris Adami filij sumus.*

64 *In Christo item plenitudo Diuini spiritus, quo præ consortibus suis vnctus est plenus gratiæ, & veritatis: In sanctis verò*

70 *Contemnunt etiam impudenter, & impiè (vt verò ... merentur) duorum reliquias, organa Spiritus sancti, quæ & honorificè coli debent à Christi fidelibus.*

71 *Qui item contemnunt alios Doctores, Spiritu sancto inspiratos, & loquutos, ex quorum ore oracula salutaria discant,*
Matth. 17 *præter eum, quem hoc testimonio Pater comprobauit. Hic est filius meus dilectus, ipsum audite, quem quidem & ipsi Hæretici obaudiunt: errant multum, & proprio ingenio fidentes, aliosue paruifacientes, linguis loquuntur tantum, & non sensu.*

72 *Contra id quod Diuus Paulus dicit: Si venero ad vos linguis*
1 Cor 14. *loquens, quid vobis prodero, nisi vobis loquar, aut in reuelatione, aut in scientia, aut in prophetia, aut in doctrina: Propterea melius est, & salubrius in Ecclesia, quinque verba, Gratiæ, Iustificationis, peccati, libertatis, & legis in sensu cum Apost. loqui ad instructionem fidelium: quàm decē millia verborum in lingua cum pseudo Apost. Mundo placentia loquentibus, enunciare ad deceptionem, & animarū graue dispendium: Hinc & Hieronimus super Epistolam ad Galatas testatur non in verbis scripturarum esse Euangelium, sed in sensu: Non in superficie, sed in medulla: nō in sermonum folijs, sed in radice rationis.*

73 *Errant igitur qui cœlestem Doctorem in sacra scriptura, in sacris Concilijs, & in sanctis Doctoribus loquentem, non auscultant: quando quidem Christi fideles, eius vocem (vt Oues Pastoris) audire auribus, & corde eumq; sequi pedibus, manibusue decet.*

74 *Non audiunt autem cœlestis. Magistri, & Pastoris vocem*
Ioan. 7. *ij de quibus Pastor ipse: Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.*

...am numero petulantis illa hæreticorum caterua censenda est, cum suis scortatoribus: Regibus, terræ, mercatoribus, hypochritis, & pseudo Prophetis, veris ministris Diaboli patris ipsorum, & Antichristi.

76 *Qui & si non dum apertè sit reuelatus, & in propria persona adhuc non venerit: in ipsis tamen hæreticis, & scelestissimis* 2.Thess. *Hominibus: Qui sua fœdissima peste, & crudeli tyrannide nituntur Christianos seducere, & sanctissimas Ecclesiæ leges disrumpere, iam in umbra, & figura mysterium iniquitatis operatur: sicut & Apostol. temporibus, dum sacrum Euangeliū prædicare illi auspicarentur, tāquam leo apertè per Neronem, & alios truces sicarios, & occultè ut Draco per Simonem Magū, et vafros alios īnumeros Hæreticos, in Ecclesiā Christi sanguine redemptā, & mundatā, operari, cæperat.*

77 *Ceterum filius ille perditionis in Iudæis, habentibus in corde velamen legis, per Thalmudica: in Turcis per Mahumetica; & in Hæreticis nuper per doctrinam Martini Lutheri, bestiæ os Draconis habentis: imperium suum obtinet: & per illos in Christianismum iugiter iram inueteratam, & virus mortiferum præsefert, atque dissemnat: Nec tanto malo (Diuina sic permittente voluntate, à Christi fidelibus suapte malitia excecatis, nec non ciuilibus & publicis bellis eneruatis) salubre remedium portatur.*

78 *Demum Christus in cœlum ascendit, totus in utroque Homine, interiore. s. & exteriore nouus genitus, ut genitor ipse per* Psal. 2. *Prophetam testatur: Ego hodie genui te Quæ generatio* Act. 13. *ad quæ tempora referenda sit, ex Actis Apost. notum est.*

79 *Nos verò interiore solum Homine hic renascimur, toti noui Homines in altero Christi Aduentu per Resurrectionem à mortuis formandi.*

Unde

80 *Unde tam diuersa, atq; contraria in vtroq; Homine mus, quàm diuersa sunt inter se cœlum, & terra.*

81 *Altero enim Homine elementis Mundi, Imperijs, Legibus, Cæsari, cum Christo, & eius discipulis dantes quæ Cæsaris*
Math. 22. *sunt, subiecti sumus. Altero Dei gratia renato, extra hunc Mundum, & eius elementa extra Regna, & eorum leges positi, cum Christo in cælestibus regnamus.*

82 *Neque ob id tamen existimet quis, seruili libertati Hæreticorum fauendum esse: neque enim stat cum ciuile seruitute (ne charitatis inconsutilis vestis scindatur) Christiana libertas.*

83 *Quod Regnum Martinus ille Lutherus, Apostata, Hæresiarcha, & Antichristi Præcursor cum suo satellitio, imminuere, & euertere totis viribus curauit, neq; adhuc cessat.*

84 *Cum Antichristi, & patris sui Diaboli, halitum, ad mortem, & exitium ipsius met, & sectatorum, inhiberit.*

85 *De quo halitu concinne illud Ioannis. & vidi de ore Draconis & de ore bestiæ, & de ore pseudo Prophetæ exire spiritus*
Apoc. 16. *tres immundos in modum ranarum, sunt enim spiritus Demoniorum facientes signa, & procedunt ad reges totius terræ congregare illos in prælium ad diem magnum omnipotentis Dei: ecce venio sicut fur: Beatus qui vigilat, & custodit vestimēta sua, ne nudus ambulet, & videant turpidinē eius.*

86 *Apertè vidimus, & utinam non vidissemus cum lachrymabili interitu tot animarum. Ex ore illius Draconis, propter insidias. Bestiæ, ob vitæ petulantiam. & pseudo Prophetæ, propter falsum doctrinam: exisse non solum tres, sed innumeros spiritus immundos, Christo non seruientes, sed suo ventri: In modum ranarum, irregulariter huc, & illuc saltantium: Qui sua dicendi procacitate, per dulces sermones, & benedictiones (ut ait Apost.) callidè seduxerunt corda innocentium*

ermaniæ, Angliæ, & Galliæ. Qui vtinam saperent, & intelligerent mala, quæ iam olim eis minatur Deus per Turchas, et alios Idolatras, in illorum ianuis iam penè existentes: Nec confidant in fortiter munitis suis ciuitatibus, in magna vi armorum, in multitudine populi: Deo etenim eis repugnante quid facient? quomodo impetum illius sustinebunt? Certum est, & argumentis pluribus confirmatum in Biblijs, Deum ipsum Patrem nostrum, peccatis tamen nostris offensum, stare à castris aduersariorum nostrorum, & castigare inimicos suos cum inimicis suis, sed quo rapior? de interiore exterioreq; Homine dicere inceperam, & incidi in sermonem de Diabolo, de Antichristo, de eius Præcursore, de Hæreticis, de Iudæis, de Thurchis Resp. Christianæ inimicis, nec non de incommodis, & damnis quæ in Ecclesiam Christi, hæc monstra induxere. Uerumenimuerò hæc forsan æquo animo feres gratissime lector, simul atque intellexeris, qua ratione in hanc disputationem digressus fuerim. Hoc nempè persuasum vnicuiq; vellem, ut quisq; attendat originem tot malorum, quibus undiq; angimur: & se accusans Deum non calumnietur, sed eum deprecetur potius, ut intendat super nos, & quiescat à furore iustæ iræ suæ, nec velit, qui propter nos innouandos misit filium suum vnigenitum, Christum Iesum, nos perire in peccatis nostris.

87 *Altero præterea Homine (iam enim par est, ut sermo à digressione ad rem propositam reuocetur) perituris cibis, & potu. Altero non perituris, ad auctus, & incrementa spiritualis perfectionis alimur.*

88 *Cibo, inquam, & potu, de quo cœlestis ipse Homo: Caro mea*
Ioan. 6. *verè est cibus, & sanguis meus verè est potus.*
89 *Cuius cibi, & potus supercœlestis vim, & dulcedinem non sen*

tientes

tientes, primum Berengarius, qui palinodiam cecinit,
de Carolostadius, Martinus Bucerius, Oecolampadius, &
Zuinglius temerè, atq; impiè tantum sacramentum, & ci-
Psal. 101. bum conculcarunt: Ob quod tam dirum, & sacrilegum fa-
cinus, ipsi cum suis cõplicibus aptè dicere possunt illud Vatis:
Percussi sumus ut fœnum, & aruit cor nostrum, quia obli-
ti sumus comedere panem nostrum.

90 Altero demum Homine fami, siti, morbis, & varijs cala-
mitatibus, obnoxij, subinde morimur, & delinquimus: Alte-
Rom. 6. ro tusi per peccatum non morimur, sed vitali spiritu augesci-
mus, & iustitia.

91 Proinde in renouandis nobis Christus spiritus ordinem certum
seruat: in interiore Homine primò aggressus opus suum: ex-
teriore, ad excitationis mortuorum tempus reseruato; iuxta
illud Christi, Venit hora, & nunc est, quando mortui au-
Ioan. 5. dient vocem filij Dei: & item. Venit hora quando omnes
qui in monumentis sunt, audient vocem filij Dei.

92 Neque id quidem ab re, sed quo hæc Dei sententia in primi
Gen. 3. Hominis noxam lata, firma maneat, quia Puluis es, &
in puluerem reuerteris.

93 Ut itaq; exterior Homo sepultus cum est, & crucem Christi
expertus, requiem suam in terra assequitur. Ita interior
consumato agone simul atq; discesserit, in amplissimo Abra-
hami sinu conquiescit. Si tamen diuitias bonitatis Dei non
contempserit, & pœnitentiam perfecerit: secus enim vel
Luc. 16. cum diuite illo epulone in Inferno sine ulla redemptionis spe
Act. 9. sepelietur, vel cum Thabita in Purgatorio igne, ad tem-
pus detinebitur: vnde sacrificio Missæ, oratione, indulgen-
tiarum suffragijs, ieiunio, & eleemosina adiutus, nouissi-
mo reddito quadrante, exibit.

Molitur

ut Christus regenerationis opus in suis, per Euangelij ministrationem: Quæ spiritus, non literæ: vitæ non mortis: sub dispensatore Christo administratio est: Diuersa ab administratione Mosaica, in qua terrena fœlicitas cultoribus promissa fuit: sed in ea Christi Iesu præcipuum locum cœlestis hæreditas obtinet.

95 *Nomine verò literæ omnis notio, intelligentia naturalis, fidei lumine non gubernata, omnisq; doctrina in pierum animis sacro fidei spiritu non animata, accipi potest.*

96 *Quod verò ad tempora, quibus adoptionis spiritus dispensatur, attinet. nam non quo vis tempore publice eum exhibitum con-*
Ioan. 7 *stat: occurrunt excitati à mortuis Christi tempora, quibus is spiritus donatur iuxta illud: non dum erat spiritus datus, quia Iesus non dum erat glorificatus.*

97 *Ut quo tempore nondum publica peccatorum remissio denunciata esset. Cuius spiritus adoptionis ille confirmator est, iu-*
Luc. 24 *xta illud, & sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis, & prædicari, in nomine eius pœnitentiam, & remissionem peccatorum.*

98 *Noui itaq; fœderis, quod in spiritu, non in carne sancitur: is spiritus, lex est: ut veteris fœderis Mosaica lex, saxo inscripta, lex fuit.*

99 *De qua lege Hieremias: cap. 31. dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam.*

100 *Hanc Ezechiel spiritum nouum: Ioannes appellat gratiam, & veritatem Apostolus. Spiritum adoptionis, quem lega-*
Ezec. 36 *li spiritui opponit his verbis. Non enim accepistis spiritum*
Ioan. 1 *seruitutis iterum in timorem, sed spiritum adoptionis filiorū,*
Rom. 8 *in quo clamamus Abba Pater.*

101 *Alter pueriles ætati, quam pedagogus Moses regit: Alter [illegible]*

grandiori, quam Christus gubernat, conuenit.

102 *Quæ ut libera est ab elementis Mundi, ita in ea, neque Iudæus est, neque Græcus, neque liber, neque seruus, neque masculus, neque fœmina: sed noua creatura: ex spiritu Meßiæ, non ex carne, proles Abrahami.*

103 *Ut contra in puerili ætate, Pedagogo, Tutoriq; Mosi subiecta, ratio gentis, sexus, ætatis, pro veteris fœderis qualitate, habita fuit.*

104 *Spiritus itaq; adoptionis quæ dignitas, ac vis sit, satis perspicuum est. Per quem qui negant nos ad iustitiam reparari: Hi nec capitis Christi, nec corporis Ecclesiæ, nec reparationis nostri ad integritatem, rationem cognitam habent.*

105 *Quantum demum inter vetus, & nouum fœdus intersit, declarant Populus, sanguis, hæreditas & lex.*

106 *Christo igitur Iesu Domino nostro, Secundo, Nouo, & cœlesti Homini, noua omnia facienti, & summo Pontifici Romano, eius Vicario in terris, par est omnem Potestatem subiectam esse: cum in illius vestimento, & fæmore scriptum sit: Rex Regum, & Dominus Dominantium.*

Apoc. 11 & 19.

107 *Noua autem per Christum facta sunt omnia, Regnum videlicet; Sacerdotium, vnctio, templum, Ara, sacrificia, cælum, & terra, cum Homine ipso.*

Apoc. 21.

108 *Quo renouato, & reconciliato cum Deo, omnia in cælo, & in terra renouantur, ac reconciliantur cum Deo per cælestem Hominem Christum: ut est apud Apostolum. Quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliari omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis eius, siue quæ in terris, siue quæ in cælis sunt.*

Coll. 1.

109 *Quia redimendo Hominem, reintegrauit, resarcivitq; An-*

E gelorum

dente, deiectus erat: Mediatore humili Christo, humilitatem docente, homo erectus est.

114 *Hinc Mysterij illius, quod absconditum fuit à seculis, aperta est ratio, ut s. corrupta in primo Adamo, & deturpata de suo statu Natura nostra per Christi crucem instauraretur; & nostri causa filius Dei Homo fieret, & Crucis affigeretur. Congruum, et enim erat, ut qui est imago Dei inuisibilis: Pri-*
Col. 1. *mogenitus omnis creaturæ, in quo condita sunt uniuersa: illi copularetur unione ineffabili. Qui ad imaginem factus est Dei, Qui vinculum est omnis creaturæ, in quo conclusa sunt uniuersa: Nec erat, si cum Homine tota natura periclitabatur eius iactura, aut negligenda, aut reparanda per alium, quàm per quem tota fuerat instituta Natura.*

115 *Et hoc ipsum magnum est illud mysterium, in quo, & Clemētia Diuina reuelata per peccatum, & gloria cœlestis Regni declarata per opprobrium crucis, euidenter patet.*

116 *Siquidem Diuina Maiestas in peccato, iustitiam: in ira, elementiam: in morte, vitam: in inferno, cælum: in ignominia Crucis, Gloriam: in filio, & per filium, peccati, iræ, mor-*
Rom. 11 *tis, & inferni victorem, præmolita est: De quo Mysterio D. Paulus: Conclusit omnia sub peccato, ut omniū misereretur & quod seminatum fuit in ignobilitate, surrexit in gloria.*

117 *Omnibus in bonum cedentibus ijs, qui ex proposito Dei immutabili, in Christo Iesu Domino nostro, Secundo, Nouo, & cœleste Homine, ad vitam æternam destinati sunt; & Matris Ecclesiæ Romanæ monita, & præcepta non spernunt: immo pro Gloria illius, & Christi eius sponsi, vel proprium sanguinem funderæ sunt parati. Quales sunt illustres equites S. Stephani, qui hoc promissum, ultro videlicet certandi pro fide Iesu Christi, Animamq; ponendi, si opus sit, pro auctu Reli-*

D. O. M.

H.

EX HVMANA PHILOSOPHIA

De Vero, & Bono.

1 *CVM omnes Homines Natura scire desiderent veri, boniq; insitum habeant appetitum: & id quidem eam obrem, quoniam quemadmodum vniversum sub ratione entis, atqi veri obiectum est intellectus ita sub ratione boni, est voluntatis obiectum. Nam quid intellectus inquirit? nisi cuncta in se suo modo pingendo, trāsformare omnia in seipsum? Quid rursus voluntas annititur? nisi omnibus omnimodo fruendo, se ipsam in omnia transformare? ipse ergo intellectus conatur, vt vniversum quodam modo fiat; voluntas autem, ut fit vniversum: vtrinque igitur naturalis ad hoc vergit animi nixus, ut cuncta vera intellectu cognoscat, & cunctis bonis voluntate fruatur; & ut simul animus ipse, modo suo, totus Mundus euadat.*

2 *Si ad scopum peruenire contendunt, pretiosissimum Philosophiæ thesaurum reperiant, & repertum legitimè expendant, est necesse.*

3 *Est.n.Philosophia (vt nomen ipsum à Pythagora inditum per hibet) sapientiæ amor; sapientia vero Diuinorū contemplatio: Quare Philosophiæ finis cognitio, & Amor est diuinorum*

4 *Quod quidem in 7. de Repub. Diuinus Plato testatur. veram philosophiam esse inquit Ascensum ad [illegible] sunt, & oriuntur, & occidunt, ad [illegible] semper eadem perseuerant.*

5 *Hinc tot Philosophia partes, & facultates ministras habet, quot gradibus ab infimis ad superna conscenditur.*

6 *Sunt autem potissimum hij gradus Nouem, quasi nouem Musæ sub Apolline: Pars et enim Philosophiæ est, quæ de rebus agit penitus separatis. Quædam de omnino corporeis: tertia de medijs. illa quidem Diuina: ista Naturalis: Hæc Mathematica, & harum quælibet secatur in tria.*

7 *Diuina.n. vel contemplatur Deum: vel substantias omnino diuinas, vt Angelos, vel intellectuales Animas, natura quidem Diuinas, sed quodam modo etiam vergentes ad corpora, verum interim separabiles: Huc usque scientia Diuina contemplatur.*

8 *Naturalis autem tria quoque considerat, vel elementalia corpora: vel cœlestia, vel Animas his coniunctas.*

9 *Mathematica quoq. triplex: Aut enim solam quantitatem tractat siue numeralem, siue continuam, ut Arithmetica, Geometraq.: aut quãtitatem eiusmodi cum ratione motus, ut Astrologus, aut etiã cũ ratione sensus, siue visus, siue auditus, ut Perspectiua, uel Musica de quib. forsã plenius infra.*

10 *Quoniam primum præter hos gradus, quidam alij sunt, qui partim à Natura partim à diligentia Hominũ exiguntur.*

11 *Nam, ut in VI. de Repub. tradit Plato, Quicunq. Philosophus, & non Philosophaster, futurus est ab ipsa Natura sic institutus esse debet, vt primo quidem ad omnia disciplinarum genera facilis, ac promptus existat. Deinde, ut natura sit verax, ab omni mendacio penitus alienus: Tertio loco, ut contemptis omnibus, quæ corruptioni obnoxia sunt, illis, quæ semper eadem permanent, mentem adhibeat.*

...noque, & fortis sit, necesse est: Qui nec mor... inanem cupiat Gloriam.

Prater ea

13 *Praeterea temperatum hunc quodā modo nasci oportet: easq; animi partes, quae affectibus efferri solent, domitas à Natura suscipere.*

14 *Quisquis enim veritatis auidus ad Diuinorum contemplationem mentem conuertit: voluptates corporis cum Socrate, Platone, & Diogene, parvipendit.*

15 *Oportet praeterea liberali animo Philosophum esse: etenim rerum vilium aestimatio, Homini veritatem rerum contemplaturo, aduersa est, nimiumq; contraria.*

16 *Huius insuper voluntas iustitiam diliget, quippè cum veritatis, temperantiae, & liberalitatis sit admodum studiosus.*

17 *Maximè verò omnium ingenij acumine, memoria, & magnitudine animi, illi opus esse videtur.*

18 *At quae hae quidem tres Naturae dotes. 1. Acumen ingenij, memoria, & magnanimitas: cum disciplina, atque educatio decens adhibita est, perfectum virtute virum efficiunt: verum si neglectae sint, maximorum scelerum causae esse à Platone dicuntur.*

19 *Qui ergo ita Natura affectus est ab ipsa pueritia. Huic adhibenda est summa Hominum diligentia, ut literas, voces, & ornatum sermonem discat: scientiarum omnium elementa, vestibula, & fores.*

20 *Cytharae quin etiam usu, musicae, at carminum, inconcinnus illius componendus est animus, & gymnasticis ludis corpus exercitandum, ut bono ipsius habitu conueniens Phylosophiae studijs praebeat ministerium.*

21 *Interim optimarum legum instituta ipsius auribus inserenda & etiam honestis exhortationibus humanus Animus ita formandus, ut moderatus, pacatusq; reddatur: quam quidem moralem educationem ethicem vocant.*

Propterea

22 *Propterea vestibulo Achademiæ Platonicæ inscriptum erat: Nemo huc Geometriæ expers ingrediatur: quod quidem nõ solum de linearum, sed potius, forsan de affectuum debita mensura, volebat intelligi.*

23 *Cum verò Mens per ea, quæ dicta sunt, ab appetitus perturbatione liberata, iam sensim à corpore solui cœperit, adyciẽda mox illi est Dialecticæ cognitio, quæ primas, & minutissimas ratiocinationum regulas docet.*

24 *Hac etenim duce verè rectum ab obliquo, bonum à malo, verum à falso discernere licet: ut contra absq; ea in magnos errores (adinstar Antiquorum) incidere est necesse.*

25 *Hinc forsan Dialectica, ars artium, & scientia scientiarum appellatur. Nam licet ipsa nõ propriè scientia dici possit, cum inter reales scientias, ens secundum naturam considerantes, non annumeretur: est tamen rationalis scientia, modus sciendi, & Philosophiæ organum: quandoquidem illa sine demonstratione, definitione, & alys ratiocinandi regulis, in ipsa Dialectica traditis, vix ab aliquo probe acquiri, ac possideri valeat.*

26 *Seruat autem Aristoteles (qui in ea tradenda multum temporis consumpsisse affirmat) talem ordinem, ut primum simplicium vocum notitiam, mox ennunciationis, tertio sillogismi simpliciter, deinde sillogismi demonstratiui, demum probabilis, & Elenchi: sed interim Dialecticæ finis verè est demonstratio.*

27 *Exploratumq; vnicuiq; illud esse debet, neminem scire rectè demonstrare, ac verum à falso distinguere, cui Euclides non fuerit familiaris.*

28 *Qua de re Mathematicarum cognitio statim habenda est. Quæ tractatu de numeris, planis figuris, & solidis, nume-*

rosisq;

rosisq; eorum motibus perficitur.

29 *Quoniam verò numeri, & figuræ, & motuum rationes ad cogitationem potius, quàm ad sensus exteriores pertinent, horum studio animus non modo ab appetitu corporis, sed ab eius quoque sensibus separatur, & ad interiorem cogitationem se confert.*

30 *Quod quidem mortem commentari est, quod in Phædone Plato scribit, esse Philosophantis officium per quod, & similes Deo reddimur, ut ex Phædro, Theetetoq; discitur.*

31 *Est autem in his percipiendis, is apud Platonicos ordo, ut Arithmeticam sequatur Geometria: Geometriam, Stereometria: hanc Astronomia: Astronomiam, denique Musica. Priores enim numeri sunt quàm figuræ: figuræ planæ priores quàm solidæ: solida verò corpora prius sunt, quàm, quæ mouentur. ordo vero, & vocũ rationes motũ sequuntur.*

32 *Arithmetica igitur, quæ de numeris agit, præcedat: sequatur quæ de planis figuris tractat Geometria: succedat huic, quæ de solidis considerat Stereometria. Quartum teneat locum Astronomia, quæ Spherarum motus suspicit: Postrema sit Musica, quæ ordinẽ vocũ ex motione nascentum, indagat.*

33 *His perceptis ad rerum naturalium cognitionem habendam humanus animus est plicandus.*

34 *Quarum tractationem Arist. plenius quidem est secutus in sua, quam edidit, Physiologia quàm Plato in Timeo propterea forsan Græci Platonem Diuinum, Aristotelem vero Demonium, cognominatunt: quia videlicet ille scientia simul, & vita sese potissimũ ad Diuina contulerit. Hic verò, & vita humanus, & scientia naturalis maximè fuerit.*

35 *Inter quos philosophorum Principes nullum ferè (si proprius res fuerit inspecta) dissidium apparet: Nam in eodem verita-*

F *tis*

tis, virtutisq́; cultu ipsi unum non esse, non potuerunt; & sicut Arist. motibus vallatus quanta ubique ratione Naturalia disposita sint diligentissimè disputat; ita Plato fabularũ velamentis, mathematicisq́; involucris constipatus, præter hæc quantum insuper illi, qui hæc omnia, numero, pondere, et mensura, disposuit, debeamus, ostendit: quam ob rem si ille nos facilè doctos efficit: Hic præterea sapientes, atq; Beatos.

36 *Errant igitur omnino (ut Ioannes Picus Mirandula, vir incomparabilis memoriæ, & in omnibus honestis disciplinis, ita absolutus citra adulationem, ut non videam quem ferè, cum eo conferre queam) putabat: qui Peripateticam disciplinam, Platonicæ contrariam prorsus arbitrantur.*

37 *Via siquidem termino contraria esse non potest: Peripateticã verò doctrinam, ad sapientiam Platonicam esse viam comperiet, quisquis rectè consideraverit, Naturalia nos ad Divina perducere: Nullumq́; unquàm ad Secretiora Platonis mysteria pertingere posse, nisi is Peripateticis disciplinis prius fuerit imitatus.*

38 *Aristoteles igitur, qui Naturalium rerum notionem tradendo, nedum Naturam imitatus est, sed & Geometram; & rectè quidem, nam Geometra Naturam ubiq; refert, & ipsius est speculum: ab exiguis rerum Naturalium initijs exordium sumpsit, & sensim ad perfectam, absolutamq́; earum notitiam perrexit.*

39 *Usus est autem in hac doctrina non modo triplici genere demonstrationis, sed etiam manerie disciplinæ definitione, divisione, entimemate, inductione, & sillogismo.*

40 *Ut apertè in processu ipsius spectatur, & ubi primum ostendit principia intrinseca rerum Naturalium non esse unum tantum, & imobile, & finitũ, ut Parmenides censuit; vel unũ,*

immobile

immobile, & infinitum, ut Melissus existimauit Neq; unũ tantũ, & mobile, ut putauit Heraclitus, qui ignem ponebat Neq; unum, & Diogenes, qui Aërem Neq; unum, ut tales Milesius, qui Aquã. neq; unũ, ut Leucippus, qui mediũ quid inter aërem, & aquã cõstituebat: sed plura ipse fore asserit.

41 *Et nõ quidẽ infinita, & diuersarum rationũ, & specierũ, sicut Anaxagoras asserebat dicens omnia latuisse prius in confuso chao: neq; infinita, & eiusdem rationis, & speciei: differentia autem figura, positione, & ordine, sicut Democritus opinabatur, qui posuit infinita atomalia corpora: sed finita.*

42 *Neque tamen duo, ut Platoni imponitur, qui ponebat magnũ & paruum, siue finitum, & infinitum: neque quatuor, ut Empedocles Agrigentinus, qui principia rerum naturalium asserebat esse quatuor elementa: sed tria tantum esse concludit, formam. s. priuationem, & materiam.*

43 In *quo triũ principiorũ numero, quasi in quadã trilatera figura nãm triãguli æquilateri, Isoscelis, & Scaleni inspicere datur.*

44 *Ipsorum autem principiorum duo prima contraria existunt, sufficentia ad agendum: quàmuis eorum alterum sit principiũ per accidens, necessarium tamen: Unum verò. s. Tertium sufficiens ad patiendum, nulli est contrarium, sed primum generationis subiectum, & ultimus corruptionis terminus: in omnib. generalib. & corruptibilib. idem Ens suapte natura in pura potentia existens manens in re facta cum altero, quod est forma, dans esse res compositæ, & constitutæ.*

45 *Ex quo sequitur rerum naturalium principia esse ut duo: esse, ut tria esse ut contraria: Sunt. n. duo constitutionis. s. Materia, & Forma: Tria vero transmutationis, Materia, Forma, & Priuatio mediatrix, quæ propriè nihil constituit, cum in re facta non maneat: Contraria demum forma, & priuatio.*

 Sequitur

46 *Sequitur necnon, quòd prima principia Naturalia sunt, quæ ex alterius Naturæ physicis principijs minimè cõstituuntur: Priora enim non habent, neque vnum ex altero constituitur, sed ex ipsis res naturales constituuntur omnes, & hæc sunt Materia, forma, & priuatio.*

47 *Quibus quidem intrarijs, & intimis, necnon extrarijs Principijs ignoratis, rem omnem ignorari oportet. Tunc enim ait Aristoteles, putamus cognoscere unum quodq́, cũ causas primas cognouerimus, & principia prima, & usq. ad elemẽta.*

48 *Hinc Arist. scite admodum non de ijs principijs interaneis tãtum, sed & de extraneis, efficiente. s. & fine egit.*

49 *Si quidem Physici est contemplari omnes causas ut ijsdem Philosophus concludit 2. de Physico Auditu. t. 70.*

50 *Qua de re, & casum, & fortunam, causas per accidens. Nam euentus fortuitus est effectus non ociosus, prouenięns, vel à fortuna, vel à casu, præter consilium Hominis. Qui effectus gubernatur solius Dei consilio occulto.*

51 *In quem nimirum si rerum omnium causalitatem referimus, nihil est quod fortunatum, causale, monstruosum, aut miraculosum dici possit. Nihil enim horum fit nisi voluntate Dei.*

52 *Et non solum eas causas Arist. in sua Physiologia contemplatur, verum etiam, & affectiones internas, & externas, quæ res omnes Naturales consequuntur. Motum videlicet, eiusque partes specificas, & integrales. Continuum, infinitum, locum, vacuum, & tempus.*

53 *Sique etiam in ea primum Motorem imobilem contemplatur non nisi propter pleniorẽ notitiã primi hoc agit, motus stat. n. firma sententia eiusdem Phi. 2. Phys. t. lxxi. Quæcunque non mota mouent, non amplius physicæ sunt considerationis.*

54 *Inter ea vero, quæ mouentur Priorem locum obtinent corpo-*

ra

ra cælestia, orbicularia, actu complurimis stellis, & Astris eiusdem Naturæ cum suis orbibus, & sphericam formam sibi vendicantibus, pulcherrime insignita, cælata, & ornata.

55 Quæ nimirum alterius Naturæ sunt ab iis quæ infra Orbē Lunæ ambitum continentur.

56 Illa etenim suapte Natura neque grauia, neque leuia, neque Atlante fultore sustentantur, ne mole sua procumbant deorsum; sed in girum secundum propriam suæ Naturæ inclinationem sine fatigatione, & pœna, suis motoribus non repugnantia, stabiliter mouentur.

57 Ingenerabilia quoque, & incorruptibilia manent. Item inalterabilia: augumentum, decrementumúe non recipientia; & tanto demum Naturam nobiliorem habentia, quanto à sensibilibus semota, illis supereminentia, separataq; magis existunt ab eis.

58 Et cum decem sint cælestes orbes: eorum supremus vocatur à sanctis cælum empyreū, à Deo, sanctis Angelis, & electis, ut nostræ fides Orthodoxæ professores affirmant, inhabitatū: Cuius quidem existentia non necessaria, sed probabili tantū modo ratione monstrari potest: Nonus Orbis, primum mobile, nullum habet astrum cognitum: Octauus multitudinem continet eorundem: & in septem spherarū sequētium spacio est tantum vnicum Astrum in singulis orbibus distinctum.

59 Quantoq; orbes cælestes sunt primo Mobili viciniores, tanto velocius feruntur motu diurno, & motu proprio tardius: Motus in Primo mobili simplicissimus, & velocissimus est: ideo spheras viciniores velocius secū rapit, remotiores vero tardius

60 Huic quoque motui omnes inferiores sphæræ contraferuntur: & illæ, quæ sunt primo à latione viciniores pluri tempore: quæ vero remotiores, minori: & mediæ, medio modo.

61 *Et quia cœlum stellatum propinquius existit Primo Mobili, adeo secundum Astronomos complet circulum suum in 24. horis, qui motus diurnus vocatur: estq; cœlum stellatum velocius inferioribus orbibus: nam cum sit maius, inequali tempore mouetur per æquale spacium, & per consequens est motu diurno velocius tardius vero motu proprio, qui completur in xxxvi. millibus annorum: quem magnum Platonis annum vocant. Saturnus vero complet motũ suum in xxx. annis · Iuppiter in xij. Mars in duobus: Sol in ccclxv. diebus, & vi horis, annum constituentibus: Venus, & Mercurius quoq; in uno anno solari circiter. Luna diebus xxvij. & viij horis, sed de his plusquàm satis, quoniam Astronomi est, ista exquisitissime vestigare.*

62 *Concluditur itaq; quod cœlum stellatum, Saturnus, & reliqua errantia sydera, seu Planetæ pariformiter in xxiiij. horis complent motus suos diurnos: & hoc quidem motu raptus primi mobilis · motu autem proprio, quo ab occidente per meridiem versus ortum contranituntur, super alijs quidẽ Polis, & Axibus complent motus suos, ut dictum est.*

93 *Et plures quidem elucubrarũt, spherarumq; lationes esse operæpretium est asserere: Nam secundum motum primum, ac diurnum, vniuersus Mundus æqualiter se habet: non potest ergo suapte natura esse causa generationis, & corruptionis: si quidem idem, & eodem modo se habens, semper natum est facere idem: Consequens igitur est, alium esse motum, qui relationem habeat ad diuersos effectus: & qui rapidum, ac velocissimum motum ipsius primi Mobilis generationi, ac vitæ aduersarium contemperet: & is est motus solis, & aliorum Planetarum in Zodiaco circulo.*

64 *Vocata vero elementa totius Mundi corporis partes, nume-*

vis, & armonia connexa, illis contrariam naturam sunt assecuta: Nanq; & si eorum moles rotunde figuræ existant: attamen mobiliter mouentur, motu vel à medio ad circumferentiam: vel à circumferentia ad medium, per grauitatē, & leuitatem, qualitates motiuas.

65 Duæ siquidem sunt grauium, atque leuium differentiæ ex quibus quatuor elementorum essentiæ sumuntur: Nam aliud est graue simpliciter: aliud ad alterum: aliud est leue simpliciter, & aliud ad alterum relatum.

66 Graue simpliciter, quod omnibus substat, ut terra. elementū quidem frigidum, & siccum, secundum se totum immobile, Mundi Centrum, rotunde figuræ, & quantitatis paruæ.

67 Leue simpliciter quod omnib. supereminet, vt ignis corpus simplex, peruiū, supremū elementorū existens, sphæræ lunaris proximè subiectū, & conterminum, calidissimū quoq;, & siccū.

68 Graue autem, & leue ad alterum sunt, quæ quibusdam supereminent, & quibusdam substant.

69 Vt Aër elementum quidem leue in respectu ad aquam, calidū, & humidum, complens omnem locum non repletum aliquo corpore terrestri, vel aqueo.

70 Et Aqua elementum graue per relationem ad Aërem, frigidū, & humidum, circumquaq; naturaliter terram alluens, non coöperiens totam propter Animantium salutem.

71 Neutrum itaq; horum simpliciter graue est, aut leue: sed ad alterum: & hæc duo in vnum conglobata sunt.

72 Qualitates item primæ motiuæ sunt interna ipsorū motuū elementorum principia quorum sunt quatuor: Nam unum est elementum semper natum ferri sursum: & ei contrarium semper natum ferri deorsum: sunt & duo, quæ sursum, & deorsum, comparatione sumpta ad alterum feruntur.

Concluditur

73 *Concluditur ergo quatuor tantum modo esse elementa, Mundi corporei partes: Quorum nimirum qualitates, & virtutes motiuæ sunt interna ipsorum Principia.*

74 *Sunt etiam elementa in locis proprijs grauia, ac leuia habitualiter, non actualiter: quoniam non tendunt, aut feruntur, deorsum, aut sursum.*

75 *Loca itaq; grauium, aut leuiũ sunt tãtum causæ externæ motuum ipsorum: mouentur.n.ad sua loca tanquàm adsuum finẽ.*

76 *Neque demum figuræ, vacuum, aut plenum possunt esse causa grauitatis, aut leuitatis in rebus naturalibus: sed loca ipsorum naturalia, & ipsa natura, huiuscemodi sunt causæ.*

77 *Vocata etiam elementa, Prima corpora simplicia huius regionis elementarij, unam habentia materiam, adinuicem per primas qualitates tangibiles, actiuas, & passiuas, calidum.s. & frigidum, humidum, & siccum transmutantur: licet non secundum se tota.*

78 *Quare de his Aristoteles, & hac quidem ratione, tractaturus: Primum quid generatio, quid corruptio, quid alteratio, quid augumentatio, quid diminutio, quid loci mutatio, explicauit necnon de ijs quæ requiruntur ad huiuscemodi motus, de contactu.s. actione, passione, atque mixtione consequenter peregit.*

79 *Mox de materiali, & formali istorum elementorum principio: De eorundem adinuicem transmutatione, mixtorumúe generatione: Nec non de causis, Principijs, & perpetuitate huiusce Generationis tractauit.*

80 *Est etenim materiale ipsorum elementorum principium, primũ illud subiectum potentiale de quo prius v cum de principijs rerum naturalium sermo esset: & formale; quatuor primæ qualitates: ex quibus duæ actiuæ, calidum, & frigidum: duæ*

verò

verò passiuæ, humidum, & siccum.

81 *Quæ quidem hoc modo describuntur: calidum est quod congregat homogenia, & heterogenia se iungit: frigidum quod, & homogenia, & heterogenia counit, & congregat: Humidũ indeterminatum termino proprio, bene terminabile alieno: siccum ben terminatum termino proprio, & male alieno.*

82 *Ex his verò primis qualitatibus ortum habent secundæ leue .s. & graue durũ & molle lubricum, & aridum asperum, & lene crassum, & subtile. Nã calidũ causat leue, frigidũ verò graue siccũ causat durũ: humidũ aũt molle, atq; lubricũ. siccũ causat aridũ, asperum, & crassum: humidum verò subtile.*

83 *Apparet etiam ex combinatione harum quatuor Primarum qualitatum, quaternarius numerus elementorum Nã calidum, & siccum combinantur, & constituunt ignem: calidum, & humidum, aërem: humidum, & frigidum, aquam, frigidum, & siccum, terram.*

84 *Sunt autem hæc omnia elementa immediatè mutuo transmutabilia: facilius tamen simbolum in qualitatibus habentia.*

85 *Hæc item elementa sunt prima corpora sensibilia, generationibus, & corruptionibus continuè vacantia. Principia quidem mixtorum, non autem primo rerum naturalium.*

86 *Ex eorundem namq; elementorum circa Mundi centrum, ac vniuersi medium vmbilicũ existentium, materiali virtute, atque naturali cõmixtura, perfectorum mixtorum omnis fit generatio: cum ad medium temperamenti fit reductio: non eade quantitate, sed ipsorũ admuicem proportione.*

87 *Nam ex ijs sumus, ex quibus nutrimur: nutrimur autem ex mixtis, quoniam pura elementa non nutriunt. Constat .n. in hac terra habitabili, nec nullum elementum deprehendi uerum. Ideoq; ignis hic violenter reseruatur, neq; lucet nisi*

adiecta ei materia externa: Aër vaporibus miscetur: Aqua terrestreitate: Terra vero humoribus: in suis tamen locis naturalibus hæc forsan pura existunt.

88 *Generationis demum omnis, ac corruptionis tria sunt principia: Materia, forma, & efficiens: nec sufficit particulare Agens, nisi adiungatur ei causa vniuersalis, cælum motum ab intelligentia; vnde sæpe Arist. Sol, & Homo generant Hominem. Homo tanquàm causa particularis, Sol vero, tanquam causa vniuersalis.*

89 *Perpetuitatisq; Generationum, & corruptionum causam esse motum cæli perpetuum, ratus est Aristoteles; sed quoniam regularis motus primi Mobilis nequit esse completa, & sufficiens causa perpetuitatis generationis, & corruptionis: iure asseruit ipse oportere subdere alias lationes vario modo incedentes sub aliquo circulo.*

90 *Sed longe verius asserendum est, quòd sicut Generatio, & corruptio initium habuerunt: sic stante motu cæli (ut pie credemus in die secunde Aduentus Domini nostri Iesu Christi, auctoris naturæ) cessabunt omnes generationes, & corruptiones.*

91 *Mixtorum vero imperfectorum (vt nostræ assertiones, quò stili cursum destinarunt, eò procedant, in sublimi apparentium, Cælum est causa efficiens: Aqua autem & terra, Materialis materiam vnde fiant, prestant: & talis est exalatio calida, & sicca; vel vapor calidus, & humidus: finis est salus viuentium. Nam omnes impressiones in sublimi apparentes, pluuia, s. ros, pruina, nix, grando: necnon fontes, flumina, mare, terram ad fecunditatem viuentium humectant, atque irrorant: exalationes fetidæ, putrescentes, & venenosæ, ne animantibus noceant, comburuntur, & venti, aëris, & aquæ commotionem faciunt, ne nimia quiete putrescãt, &*

& putredine sua Animantia enecent.

92 *Cælum (inquam) horum effectuum causa est efficiens: quia virtutem diffundit in hac inferiora triplici instrumento, motu, s. lumine, & influentia: Motu quidem effectiue adaptans materiam lumine suo formaliter: influentia finaliter, influendo ipsius Motoris virtutem: & propterea forsan Aristoteles dixit: Necesse est hunc Mundum sensibilem esse contiguũ lationib. superiorib. ut tota virtus eius inde gubernetur.*

93 *Contigua quidem est Regio hæc elementaru, generationib. & corruptionibus semper occupata cælesti Machinæ quia elementum ignis, reliqua tria circumambiens, locatum est in cõcauo orbis Lunæ. Hunc ambit Mercurialis, istum Venereus, illum solaris, medius inter errantes: Hunc præterea Martialis, istum Iouianus, illum Saturnius: Hunc demum firmamentum, innumera stellarum fixarum, inuariatam inter se se distantiam obseruantium, multitudine, decoratum, istud primum mobile ambit, illud denique complectitur orbis ille empyreus, Dei, ac Beatorum spirituum, sedes: sicut igitur semper conuexum unius orbis est in concauo alterius, sic & unum elementum intra alterum concluditur: ut per medium contiguum, cæli, & eorum motores; influant virtutes in hæc inferiora.*

94 *Loca vero in quibus generantur omnes, vel ferè plures impressiones (igneæ, quæ verè ardent, ut stipulæ, Æges, Dali, Cometæ; vel quæ non ardent, sed Solis, vel alterius Astri lumine collustrantur, ut hiatus, illuminationes serotinæ, Virago, colores: aqueæ, ut pluuia, ros, pruina, nix, grando: quibus etiam adijcitur fontium, fluuiorum, & Marium generatio: aëreæ, venti, fulmina, tonitrua, ecnephias, Typhon, Halon, Iris, Virgæ, Parelij, & præter hæc Terremotus) sunt tres*

Aëris Regiones, seu Partes, secundum diversas qualitates differentes s. suprema, media, & infima.

95 *Suprema excessive calida, & sicca existit propter ignis vicinitatem, cui contigua est, atque circulariter cum ipso ad motum cælorum rapitur: semper enim unum elementorum circundat alterum, & est in decupla quantitate maius, excepta aqua, quæ non circulariter terram ambit, sed frustulatim, sinuatimue conspergit: suisq; limitata terminis ipsius terræ partes discopertas ad salutarem viuentium habitationem, (Deo sic prouidente) relinquit.*

96 *Media autem est perpetuo frigida: quia radiorum solarium reflexio eò pertingere nequit, & ab igne elongata est: frigiditatemq; eius effectus, in ea geniti probant.*

97 *Infima tepidior euadit: est enim calida, atque humida, ac temperata per accidens: quandoq; frigida ob solis multam distantiam.*

98 *Terreæ demum impressiones, aurum s. argentum, cuprum, stannum, plumbum, ferrum, oricalcum, & reliqua metalla, lapidesq;, ex calida, & humida, uel sicca exalatione in uisceribus terræ introclusa, actione corporum cælestium generantur.*

99 *Postquàm vero in multis suæ Physiologiæ libris Arist. rerum omnium naturalium principia, Mundi machinã, integrã absolutamq; rerum omnium compositionem, ac structuram: Opificium quidem Diuinum, semper admirandum, & cunctis quæ natura potuit efficere, corporum generibus, ac speciebus ornatum; singulas eius partes, earum Naturas, & affectiones egregiè, & ordinatissimè descripsit iuxta normam in principio primi Meteorologicorum positam: Animalium, ac Plantarum theoriam aggressus fuit.*

Animalium

100 *Animalium verò contemplatio in duas peculiares partes ab ipso fuit distributa: In quarum altera fit de Animalibus contemplatio per historiam, & simplicem enarrationem, absq; redditione causæ: In altera vero parte, de eisdem Animalibus, per causam, & propter quid fit tractatio.*

101 *Prima pars in quatuor partes distribuitur: In prima agitur de partibus substantialibus, Animalium ac eorum operationibus proprijs, quæ sunt sensus, & motus: Quæ pars completur quatuor primis libris de historia Animalium.*

102 *In secunda parte fit tractatio de omnium Animalium generatione: terrestrium s. Aquatilium, & Volatilium, & hæc pars tribus sequentibus libris perficitur.*

103 *In tertia differit de vita, ac morte omnium animaliũ, atq; de eorũ morbis in vniuersum: hæc pars octauo libro cõtencta est.*

104 *In quarta docet mores Animalium: quæ pars nono libro absoluta fuit.*

105 *Eodem pacto secunda pars principalis in qua theoriam causæ, & propter quid pertractat, in quatuor partes, prioribus, respondentes, distribuitur.*

106 *Primæ etenim parti, in qua de partibus Animalium substantialibus agitur, respondent tres libri: Nempè liber de partib. animalium: De incessu: & de Anima: in quibus propter quid, & causas eorum omnium, quæ in prioribus quatuor dicta fuerant per historiam, assignat: Quod ex verbis Arist. in fine libri de gressu, palam est: ubi hæc verba scripsit, cum de Animalium partibus, tum his, tum alijs, quæ ad gressum faciunt, dictum sit, Consequens est de Anima contemplationem facere.*

107 *Cuius quidem Animæ Naturam inuestigauit, pro viribus explicans eius essentiam, Gradus vitæ, potentias, ac vires in*

cunctis etiam Animatis existentes, nec non unius cuiusque naturalis potentiæ operationes, organa, & obiecta.

108 *Et quamuis huiuscemodi de Anima contemplatio, difficilis, atque ardua existat (ut multa controuersia, quæ semper fuit inter eruditos, ac præcipuos Physicos de ipsius substantia, & natura, subinde declarat) est tamen perbelle honorabilis, & admodum utilis.*

109 *Præcipuè si Arist. doctrina amplexetur: qui certè in huiusce tractatione, captum Hominis audacter exuperans, utiliterq. varias Antiquorum de ipsa Anima sententias, primũ confutans, rem mox acu (ut dicitur) tetigit.*

110 *Asserens in primis Animam non esse ignem, vel calorem quẽdam ex sphericis Atomis conflatum, hoc est spiritum Atomis insertum: ut Democritus, & Leucippus asseuerarunt.*

111 *Nec minus probans, quorundam Pythagoricorum, & Anaxagoræ sententiam, asserentium animam virtutem esse Atomorum Motricem: vel intellectum.*

112 *Multoq. validius inuectus est in Empedoclem, existimantẽ illam cõstitutam esse ex quatuor elementis, lite, & amicitia: In Platonem ponentem illam (ut in Timeo) ex numeris, & Ideis compositam. In Xenocratem, qui animam dixit esse numerum seipsum mouentem. In Thaletem, asserentem aliquod motiuum esse animam: In Diogenem, dicentem animã esse aërem in Heraclitum, igneum vaporẽ fore animam existimantem. in Alcmeonem, dicentem animam esse immortalem: In Hipponem, animam esse aquam autumantem: ac demum in Critiam sentientem, animam esse sanguinem.*

113 *Sed forsan tam excellentiam Philosophorum sententias dum alius Physicè, alius medicè, alius metaphoricè, & figuratè loquutus sit, nonsunt prorsus à veritate aliena.*

Quamquàm

114 *Quamquàm res indubitata est, Aristotelem Animæ naturam, Potentias, actus, organa, & obiecta, doctius, & ordinatius explicasse, quàm cæteri Philosophi ante ipsum, huiusmodi delineauerint.*

115 *Est (inquit Peripateticorum Princeps) Anima, actus primus corporis Physici, potentia vitam habentis, tale autem quodcunq; fuerit organicum: & id peculiariter est, quo viuimus, sentimus, mouemur, & intelligimus primò.*

116 *Hinc aptè, & euidenter sequitur, Tres fore Animæ species. inter quas vegetatiua origine præcedit, quam tantum modo habent Plantæ: Hanc sequitur sensitiua, complectens vegetatiuam, Animalibusue ratione carentibus inhærens: & demum intellectiua, vnà amplexans vegetatiuam, & sensitiuam, in Homine reperitur.*

117 *Concluditur etiam ex dictis quatuor esse gradus vitæ, realiter ab inuicem distinctos, s. vim vegetandi, qua rebus in est viuere, ut plantis: vim sentiendi, qua animalibus imperfectis inest sentire: vim mouendi secundum locum, qua perfectis animalibus in est motus. & vim denique intelligendi, qua Hominibus inest intelligere.*

118 *Sequitur necnon quinque esse primaria Genera potentiarum ab animabus proficiscentium: vegetatiuum. s. cuius obiectum est alimentum: Sensitiuum, cuius obiectum est sensibile: Appetitiuum, cuius obiectum est appetibile: Motiuum secundum locum, cuius obiectum est inquisibile: & Intellectiuum denique, cuius obiectum est intelligibile.*

119 *De quibus omnibus in secundo, & tertio de Anima: in libro de plantis, ac in libro de sensu & sensili apprime agitur.*

120 *Qui libri iure quodam libros de Anima sequuntur: id quod verba Aristotelis in principio illius libri demonstrant, ubi de*

sensu

sensa, & sensili sermonem auspicatur, sic dicens: Quoniam autem de Anima secundum seipsam determinatam est prius, & de virtutum qualibet secundum partem ipsius, consequens est facere considerationem de Animalibus, & vitam habentibus omnibus: quæ sunt propriè, & quæ communes operationis eorum.

121 *Illi igitur Parti, quæ tractat de sensu per historiam, Tres alij libri respondent, in quibus ratio, & causa eorum, quæ ibi dicta sunt, docetur: Quorum primus est liber de sensu, & sensili: secundus de Memoria, Reminiscentia: Tertius de somno, & vigilia, & Annexis, videlicet de somnijs, & de Diuinatione per somnum.*

122 *Ei vero Parti, quæ tractat de motu historicè, respondet liber de communi animalium motione.*

123 *Et hij omnes libri, in summa, respondent primæ parti de historia Animalium.*

123 *Secundæ verò parti principali in qua agitur de Generatione omnium animalium in vniuersum historicè, respondent quinque libri De Generatione Animalium: in quibus causa, & propter quid eorum, quæ dicta sunt ibi simplici enarratione, redditur.*

125 *Tertiæ autem parti principali: Quæ est de morte, & vita animalium, ac de eorum morbis in communi: Respondent quinque libri. liber de Prolixitate, & Breuitate vitæ: De Iuuentute, & Senectute: De Respiratione: De Morte, & vita· De Sanitate, & languore.*

126 *Et hic quidem liber (quem hodie desideramus) vltimus est Aristotelicæ Physiologiæ, & primus Medicinæ: vbi enim Physicus desinit, ibi Medicum incipere, necesse est.*

Quoniam

127 *Quoniam quartæ, ac ultimæ parti principali Historiæ Animalium, in qua de moribus eorundem per simplicem enarrationem agitur, non fuit designatus aliquis peculiaris liber ab Arist. in quo causam, & propter quid eorũ, quæ dicta sunt, reddiderit. sed sparsim illud factum fuisse credendum est, vt in problematibus videre vnusquisque per seipsum potest.*

128 *Quàm optimè igitur Aristoteles suam perfecerit Physiologiam: quam certè non minus doctè quàm ordinatè, non absq; summo studio, & labore, orditus, ad extimum filum perduxit: Cuiq; perspicuum, & meridiana luce clarius, iam id esse debet.*

129 *In ipsa etenim De primis causis Naturæ: De omni motu naturali. De rectè dispositis secundum superiorem lationem Astris: De elementis corporalibus, & quot, & quæ, & de ea quæ inuicem fit permutatione, & de Generatione, & corruptione communi: De Meteorologicis, & ijs quæ fiunt in visceribus terræ: De animalibus, & Plantis vniuersaliter, & singillatim egit: Quibus dictis finis utiq; factus fuit ab Aristotele suæ Physiologiæ: In qua profectò Aristoteles Philosophiæ Alumnus optimi Philosophi functus munere, rerum omnium naturalium inquisitionem, disceptationem, consumatamq; Notionem nobis legauit.*

130 *Postremò Philosophia Atlanticis humeris, Humanos animos subleuãs, supra sensuũ, corporamq; nãm ad abstracta euehit.*

131 *De quibus pariformiter Aristoteles opus illud mirandum Methaphysicæ addidit: in quo latius quidem abstracta per indifferentiam, ens, Naturam, substantiam, Accidens, Actum, Potentiam, vnum, & multa explicauit, quàm abstracta per essentiã, intelligentias, & Deum ipsum, primam formam, & ultimum finem.*

Quam

138 *Tum ſchalis Mathematicis gradatim præſtat ſublimem ad ſummos cœli Globos Aſcenſum.*

139 *Demum (quod ſupra quàm dici poſsit, mirabile eſt) ultra cœli verticem, ad ipſum cœli, Mundiq; totius fabrum, ac Ducem, in quo totum, id quod eſt in exercitu Bonum, & amplius quidem, continetur. Methaphyſicis alis attollit.*

140 *Ibiq; Anima Philoſophiæ munere, non ſolum totus Mundus, modo ſuo, atque fælix, euadit. Verum etiam cum fiat (ut ita dicam) Deus, qui eſt ſummum verum, & optimum bonum: quodam modo fit ipſa fælicitas: Quæ, quoniam hic paruo tempore perfectis per omnes habitus practicos, & ſpeculatiuos contingit tantum: eam poſt fluxum, ac infælicem hunc ſtatum, æterno ſingulis Hominum donet Rerum omnium conditor, Qui eſt benedictus in ſecula.*

FINIS.

ERRATA

Fo 7 fac 2 legens pro legem. Fo 9 fac 1 est, pro ex. Fo 9 fac 2 ammissa, pro amissa, Fo 10 fac 1 assertione 17. vbi legitur ad abolendum seple peccatum Fo 11 fac 1, specta pro spectat Fo 12, fac 2 decuncta pro deuncta. Fo 15 fac 1 inhiberis pro inhiberis codem fo & fac pseudo prophacam, pro pseudo prophetam Fo 25 fac 2 aliquo, pro obliquo.